



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis**

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,  
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis  
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario  
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi  
decalogi Praecepto

**Godeau, Antoine**

**Augustae Vindelicorum, 1774**

Caput VI. Beneficiorum pluralitatem Ecclesiae Concilia prohibent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

CAPUT VI.

Beneficiorum pluralitatem Ecclesie  
Concilia prohibent.

Hactenus sanctos Patres audivimus, sanctam modo audiamus Ecclesiam, quæ in Conciliis hanc Beneficiorum pluralitatem damnavit. Ecce Concilii Chalcedonensis verba: *Non liceat clericum conscribi in duarum urbium simul Ecclesis, & in qua ab initio ordinatus est, & ad quam confugit quasi ad potiozem ob inanis gloriæ cupiditatem. Hoc autem facientes revocari debere ad suam Ecclesiam, in qua primitus ordinati sunt, & ibi tantum ministrare (Can. 10.)*. Canone vigesimo idem decernit: *Clericos in Eccle-*

magis enim & melius per plures Ministros, quam per paucos colitur. 2. Fundatores defraudantur, qui sicut certum numerum voluerunt habere servitorum, ita & servitorum. 3. Ecclesia suo privatur jure; dum enim plura Beneficia unus usurpat, Ecclesia Ministris sibi debitis caret. 4. Injuria infertur aliis dignis, imo dignioribus, qui nullum Beneficium habent, hujusque spe ob quorundam ambitionem privantur. 5. Contra naturalem rationem pugnatur, quæ uni corporis membro non nisi unum in corpore officium competere docet. 6. Amplius cupiditati & ambitioni locus datur. 7. Laudabili æmulatione sublata, literarum studia pereunt. Vid. Nat. Alexand. in *Append. ad Tract. de Ordine. cap. 6. Reg. 28.* ubi terrificam sancti Bernardi ex divo Thoma refert sententiam: *Qui non unus, sed plures est in Beneficiis; non unus, sed plures erit in supplicis (Quodlibet. 10. Quæst. 7. art. 2.)*.

*Ecclesia ministrantes in alterius civitatis Ecclesia ordinari seu collocari non oportet, sed ea contentos esse, in qua ab initio ministrare meruerunt, exceptis illis qui sua amissa patria ex necessitate ad aliam Ecclesiam transeunt.*

Secundum Nicænum Concilium ita loquitur: *Clericus ab instanti tempore ne connumeretur in duabus Ecclesiis. Negotiationis enim est hoc, & turpis lucri proprium, & ab Ecclesiastica consuetudine alienum. Audivimus enim ex dominica voce, quia nemo potest duobus dominis servire aut unum odio habebit, & alterum diligit, aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Unusquisque ergo secundum apostolicam vocem, in qua vocatus est, in hoc debet manere, & in una locari Ecclesia: quæ enim per turpe lucrum in Ecclesiasticis rebus efficiuntur, aliena consistunt a Deo. Sub hujus Canonis fine permittitur Clerico in parvis oppidis duabus Ecclesiis servire propter ministrorum defectum.*

Claromontanum Concilium sub Urbano II. Papa, eoque præsentem habitum jubet: *Nulli Clericorum liceat deinceps in duabus civitatibus duas præbendas obtinere, cum duos titulos non possit habere: ut omnis Clericus ad eum titulum, ad quem ordinatus est, semper ordinetur, ut nullus deinceps in una Ecclesia duos honores habeat.*

In tertio Lateranensi Concilio sub Alexandro III. anno 1180. habito sic Patres loquuntur: *Quia nonnulli modum avaritiæ non ponentes, dignitates diversas ecclesiasticas, & plures Eccle-*

has parochiales, contra sanctorum Canonum instituta nituntur acquirere, ita ut, cum unum officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vendicent plurimorum, ne de cætero fiat districtius prohibemus. En decretum pro Beneficiis, quibus animarum cura adnexa est, de quo nemo dubitat. Alterum audi circa Præbendas aliaque Beneficia: Quia in tantum jam quorundam processit ambitio, ut non duas vel tres, sed sex aut plures Ecclesias perhibeantur habere, nec duabus debitam possint provisionem impendere, per Fratres Coepiscopos nostros carissimos emendari præcipimus, & de multitudine præbendarum canonibus inimica, quæ dissolutionis materiam & vagationis inducit, & certum continet periculum animarum, eorum, qui Ecclesiis digne valeant deservire, volumus ecclesiasticis Beneficiis indigentiam sublevari.

Quartum Lateranense Concilium veteres renovans Canones addit: Ne quis in diversis monasteriis locum monachi habere præsumat, nec unus Abbas pluribus monasteriis præsideat.

Verum nonne postremum Tridentinum Concilium hanc pluralitatem eliminare omnino fatigat Decreto, cujus hic verba singula subjicimus? Cum ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium Officia occupat clericorum, sancte sacris canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi. Verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu, se ipsos, non Deum decipientes, ea quæ bene constituta sunt, variis artibus eludere, & plura simul

*simul beneficia obtinere non erubescunt, sancta*  
*Synodus debitam regendis Ecclesiis disciplinam*  
*restituere cupiens praesenti decreto, quod in qu-*  
*buscunque personis, quocumque titulo, etiam Car-*  
*dinalatus honore fulgeant, mandat observari,*  
*statuit ut in posterum unum tantum Beneficium*  
*ecclesiasticum singulis conferatur; quod quidem*  
*si ad vitam ejus cui confertur honeste sustentandam*  
*non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplicium*  
*dummodo utrumque personalem residentiam non*  
*requirat, eidem conferri (Sess. 24. cap. 17.)*  
 Non potest apertius loqui, nec melius hominum  
 ambitio & avaritia repelli: neque haec  
 clausula: *dummodo utrumque personalem residentiam non requirat,* simplicium Beneficiorum  
 coadervationem excusat. Sanctus Carolus  
 Borromæus, cujus opera hoc Concilium comple-  
 tum est, in Provinciali, quod post Tridentinam  
 conclusionem statim habuit, plurium Beneficio-  
 rum etiam simplicium unionem universim con-  
 demnat. Hinc vides veteres Canones adversus  
 Beneficiorum pluralitatem non esse abolitos,  
 imo instauratos; neque pravam nostri ævi con-  
 suetudinem ab eorum observatione quemquam  
 posse dispensare. Quamobrem quicumque pro-  
 tatem colunt, & ecclesiasticas Constitutiones  
 venerantur, ab hoc spiritali adulterio se cohibe-  
 buerunt. Nolo præterita sæcula recensere,  
 quæ Beneficii nomen & rem ignorabant: adeo  
 sancti illi Episcopi sanctique Presbyteri ab avari-  
 ritæ spiritu abhorrebant, & tanta in pauperes  
 flagrabant caritate, ut solum moderatum suum  
 victum de bonis Ecclesiæ sumerent. Postremis  
 autem

autem hisce sæcalis, licet omnia sint corrupta, nonnulli tamen extitere nobiles doctique Clerici, qui ab hac polygamia abhorruere.

Cardinalis Borgia, qui Pontifex electus Calixtus III. vocatus est, poterat si voluisset plura Beneficia adipisci; sed unum tantum habere voluit, nempe Valentiaë Episcopatum: ac sæpe dicebat, se sponsa sua virgine, Valentina scilicet Ecclesia contentum esse.

Georgius Cardinalis Ambiacensis, Papæ Legatus, & Ludovici XII. Galliarum Regis Minister & Familiaris intimus, poterat, si voluisset, omnibus Regni frui crucibus & infulis; nihilo tamen minus solo Rothomagensi Archiepiscopatu, dum vixit, contentus fuit. Rarum hoc hominis apud Regem gratiosi exemplum, qui cum omnia posset, ad suam explendam avaritiam Regis gratia non est usus.

Cardinalis Bellarminus eximium opusculum contra Beneficiorum pluralitatem ad nepotem suum Theatensem Episcopum conscripsit; doctrinamque suam suo exemplo firmavit, dum nunquam Beneficia possidens.

Cardinalis Borromæus, quem ultimis hisce temporibus Deus concessit, ut ecclesiasticum spiritum excitaret, cum per tempus aliquod plures Abbatias possidisset, omnes eodem die dimisit, ut ad suum Mediolani Archiepiscopatum se conferret, ubi modestia, frugalitate, cæterisque virtutibus Ecclesiæ toti præluxit, insignemque sanctitatem est consecurus.

In sancti Ludovici vita narratur, eum nunquam illi Beneficium contulisse, qui aliud possideret, quantumvis esset idoneus: oportebat de prioris Beneficii resignatione afferre testimonium, ut aliud obtineretur. Sub sancto hoc Rege, anno videlicet 1238. contra Beneficiorum pluralitatem Parisiensis Universitatis celebre illud Decretum prodiit, quod calculo suo probavere celeberrimi illius ævi Doctores, in quibus sanctus Thomas & sanctus Bonaventura recensentur. Illustres illius sæculi ac posteriorum Theologi, nempe Petrus Comestor, Guilielmus Parisiensis, Raymundus de Pennafort, Thomas Cantuariensis, Guilielmus Perault Archiepiscopus Lugdunensis, Ulricus de Argentina Dominicanus, & Alberti Magni discipulus (*tom. 2. tract. de Avar. c. 17.*), Durandus Meduntensis Episcopus, Gersonius, Nicolaus Cardinalis de Tudeschis passim vocatus Abbas Panormitanus (*cap. Dudum, de Elect.*), Dionysius Carthusianus, Joannes Major Parisiensis Universitatis Doctor, Cardinalis Cajetanus, Doctor Hadrianus Caroli V. præceptor postea Papa, Dominicus Soto, Alphonsus Alvarez, Guercerus jurisconsultus, excellens Canonista Joannes de Lignano, Franciscus Duarenus, Cardinalis Tolerus, Cardinalis Bellarminus, Navarrus, Lessius, Laymann, Binsfeldius, hanc pluralitatem naturali juri contrariam esse affirmant. Quare illud sancti Pauli usurpare licet: *Ideoque & nos tantam habentes impostam nubem testium, deponentes omne pondus, & circumstans nos pericatum, per patientiam curramus ad propositum*

VI. *Excusationes, quas pro Benefic. &c. 547*

*nobis certamen (Hebr. 12.). Quod ut rite  
exequamur, illud quoque præstemus, quod  
subiicit Apostolus inquit: Aspicientes in  
auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui  
proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione  
contempta.*

C A P U T VII.

*Excusationes, quas pro Beneficiorum plu-  
ralitate afferunt, frivolaë, ac vanæ sunt.*

Duo hominum genera Beneficiorum pluralita-  
tem sectantur: ii primum, qui, an ab Ec-  
clesia damnata sit necne, non inquirunt, de sua  
tantum avaritia & vanitate explenda solliciti:  
alii deinde contra sanctos Canones peccare no-  
lunt; sed Papam putant posse in hac dispensare;  
& hac dispensatione munitos plura Beneficia tu-  
ta conscientia possidere se posse arbitrantur.

Ego vero de legitima hac Papæ auctoritate  
dubitare non vereor. Scio Papam veluti Eccle-  
siæ caput Canones, qui ad disciplinam spectant,  
interpretari posse, & in iis dispensare; sed non  
ex auctoritate absoluta, hanc siquidem Pontifi-  
cibus auctoritatem Christus contulit *in ædifica-  
tionem, & non in destructionem (2. Cor. 13.),*  
& ut ea utantur *non ut dominantes in cleris, sed  
forma facti gregis ex animo (1. Petr. 5.).*  
Canones sunt sanctæ, sacræque leges, quæ a  
Conciliis pro Ecclesiæ regimine sunt conditæ:  
illas congregatis Episcopis sanctus Spiritus in-  
spiravit, & cum reverentia Ecclesia tota susce-  
pit;